

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis  
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118537**

§. 121. Examen articuli de præsentia reali in Anglia institutum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

subditi subjiceret: hanc ut ab ea obe- Sæcul. XVI.  
 dientiam extorquerent, Cantuariensis A.C. 1549.  
 Archiepiscopus, ac Bucerus, qui jam ab  
 Anno priori in Anglia agebat, sæpius  
 illam visum ibant, verum frustranei e-  
 rant omnes illorum conatus; illa enim  
 de temerariis Ministrorum ausibus gra-  
 viter questa declarabat, quod eorum le-  
 gibus nunquam morem gestura esset,  
 cum nulli illorum subdita sit: postea ad  
 Cæsarem quantocius Nuntium ablega-  
 bat, supplex, ne contra conscientiæ suæ  
 leges agere cogeretur, interea vero Mi-  
 nistris eam sollicitantibus responsi loco  
 hæc duntaxat dixit: Ex Regis Patris  
 mei jussu in Religione Catholica fui  
 enutrita, atque educata, cum autem pri-  
 mæ meæ educationi moderna etiam-  
 num voluntas mea omnino correspon-  
 deat, nihil me ab animi mei sententia,  
 ac fidei constantia avertere poterit. I-  
 dem quoque reposuit Eduardo Regi, qui  
 illam hac super re convenerat; qua-  
 propter semper cum majori, quam an-  
 tea populi concursu rem divinam in suo  
 Sacello peragi jussit.

### §. CXXI.

#### *Examen articuli de præsentia reali in Anglia institutum.*

Cum hi novatores recentem spuriæ Burnet l. c.  
 suæ reformationis fabricam adhuc- p. 158.  
 dum Sleid. p. 762.

Sæc. XVI.  
A.C. 1549.

dum arenæ impositam cernerent, nisi prius doctrinæ, quæ omnes præcipuos Religionis articulos complectetur, systema stabilirent, hinc potissimum anni partem discutiendis pluribus, ac specialibus articulis sacrabant, præcipue vero examinandam suscipiebant realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia. Hujus argumenti discussio demandabatur Petro Martyri patria Florentino, cum autem ipse Zwinglii sectator esset, doctrina quoque ab eo proposita ad tria hæc capita reducebatur. I. Non transmutatur *substantia panis, & vini*: II. *Corpus, & Sanguis Christi non est carnaliter, seu corporaliter in pane, & vino*, III. *iis unitur sacramentaliter*: id est, duntaxat in figura, aut si amplius dici potest, *in virtute*. Bucero, qui pariter in Angliam venerat, non probabatur secunda Petri propositio; contendebat enim, localem quidem præsentiam esse excludendam, non item *corporalem, ac substancialem*, eoquod, inquietabat ipse, Christus Dominus a Cœna separari nequeat, talique modo in cœlo præsens sit, ut tamen *substantialiter* ab Eucharistia non absit. Ex adverso Petrus Martyr commenti loco habebat, si in cœna corporalis, ac substancialis adstruatur præsentia, quin simul eadem *realis præsentia a Catholicis tradita* admitt-

admittatur, unde quamvis ex cunctis Sæc. XVI.  
Protestantibus unicum veneraretur Bu- A.C. 1549.  
cerum, nihilominus haud adeo com-  
placendi studio sese abripi patiebatur,  
ut ejusdem sententiae adhæreret.

## §. CXXII.

*Oxoniensis disputatio prævalente Pe-  
tri Martyris opinione.*

Hac super re Oxonii, ac Cantabrigiæ publicæ habebantur disputationes, quodam Doctore nomine Smithæo Petrum Martyrem provocante, ut legitimo interesset colloquio, ubi hæc quæstio discuteretur. Evidem Petrus hanc in se provinciam necdum consulto Rege, ejusque Senatu suscipere renuebat; obtenta autem utriusque licentia a Senatu Deputati nominantur, qui disputationi præcessent. Verum Smithæus quodam negotio adesse præpeditus in Scotiam, ac inde in Flandriam auffugere cogebatur. Nihilominus Petrus Martyr suam opinionem pertinaciter tuebatur præsentibus Deputatis, qui erant præter alios quosdam Lincolniensis Episcopus, Coxus Doctor, atque Universitatis Cancellarius. Cum ergo propositiones a pluribus impugnarentur, Petrus Martyr eas propugnabat, moxque juxta ejus sententiam fidei forma fuit

*Bossuet hist.**variat. to. I. I.**7.n.82 p.425**Sanderus de**schism. Angl.**I.2. p.279.*